



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. De Ionio mari propriè sumpto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Idem de Atriâ Strabo lib. 5. Paulus Diaconus rerum Longobard. lib. 2. cap. 19. perperam originem huius maris trahit ab *Atriâ* vrbe Piceni.

Eius Maris termini apud Ptolemæum lib. 3. cap. 1. 4. 14. 15. 17. à *Freto Siculo* ad *Iapygiam* Pro. *Ora Sicilia Orientalis*, in Epiro à portu *Castiopen* ad *Acheloum* amnem, *ora Corinthiaci Sinus*, *Peloponnesi* ora occidua & *Meridionalis Cretam* vsque. Vnde colliges *Adriaticum* Ptolemæi esse idem cum *Siculo* Strabonis, si eximas exiguam illam oram, quæ à iugis *Acrocerauniis*, ad *Castiopen* portum excurrit.

Diuiditur autem Mare Adriaticum pressius sumptum, in tres Sinus, de quibus in Italiâ distinctiùs, *Tarentinum*, *Scyllaccum*, & *Brutium*.

§. 6. De Ionio Mari proprie sumpto.

IONIVM, Ptol. *Ἰόνιον*, vnde dictum sit disputant eruditi, & adhuc sub iudice lis est. Quidam ab Ionum naufragio dictum volunt, perperam, nam *Ἴωνες* Græcè, *Ἰόνιος* verò *κόλπος* ita scribuntur; tamen legitur apud Polybium *Ἰόνιον*. Alij ab *Ione* Adriæ patre. Solinus & Marcianus Capella ab *Ioniâ* extremâ parte Italiæ, quæ sic dicta est ab *Ione* Naulochi filia quam Hercules interemit. Homeri interpres ab *Ionio* quodam ab *Hercule* cæso. Alij denique vt *Æschylus*, *Eustathius*, *Seruius* & alij plures, ab errore *Iüs Inachi* filia.

Iam verò limites eius sic proponit Ptolemæus lib. 3. cap. 1. lib. 2. cap. 17. lib. 3. cap. 14. Ab *Iapygia* Pro. ad *Garganum*: à *Lisso* Fl. ad *Celidnum* amnem, & hinc ab portum *Castiopen*. Plinius paulo aliter de hoc *Ionio* loquitur: videtur enim illud constituere ex *Apolonia* ad *Hydruntem*; de aliis terminis secundum Plinium non est facile statuere. Sic intellige locum *Liuij* lib. 23. vbi *Philippus Macedo* tantum *Ionio* mari discretus ab Italiâ dicitur.

Obferuabis item hîc Plinium aliter ab aliis loqui. Quem enim alij dixerunt *Ionium Sinum*, ille *Adriaticum* nominat, & quod illi *Mare Adriaticum* hic *Ionium*: in parte autem inferiori huius maris collocat *Ionium* & *Siculum*, cum alij tantum *Siculi* meminerint. Videtur etiam vltra alios extendere, cum *Ionium* diuidat in *Siculum* & *Creticum*, de quo §. 1. cap. sequentis.

*Atque hæcenus de impeditissimâ questione: de qua si expedire loqui vo-
lueris dices Ionium latè sumptum in tres partes diuidi, in Sinum Io-
nium, seu Adriaticum, Mare Ionium propriè dictum, & Mare Au-
fonium, seu Siculum.*

CAPVT SEXTVM.

De Mari Ægæo.

NEQVE minùs in hâc parte maris Mediterranei laborandum fuit, propter auctores distractos in contraria.

§. 1. *De Ægæo Mari latè sumpto.*

PRIMVM hîc agemus de eius nomine, deinde de eius limiti-
bus. Quod ad nomen attinet,

Primò dictum videtur fuisse **CARICVM** vt legitur apud ve-
terem Thucydidis Scholiastem, quoniam Cares in Ægæi insulis
diu habitauerunt, quos tandem abegit Minos, ex quo

Secundò vocatum est **MINOIVM**, vt dicitur ab Apollonio, &
aliquot eius insulæ Minoïdes.

Tertiò, **MARE GRÆCVM** tempore Thucydidis, vt ipse asse-
rit lib. 1.

Quartò apud Apollonium & Homerum dicitur **MELAS**, vel à
Melane filio Phryxi, vel à Fluuio Melâ qui in hoc cadit ex Thra-
ciâ in Sinum cognominem.

Quintò in Epitome Strabonis **ASIATICVM** dici videtur,
quandoquidem in eo & Cycladas, & Sporadas locat, & ad Troa-
dem, Macedoniam & Samothracen illud extendit.

Sextò denique apud Maronem 5. Æneidos **ARGOLICVM** *Argo-
licòque mari deprensus, &c.*

Terminos autem eius statuo 1. Hellepontum, 2. Mare Siculum,
aut Aufonium, 3. denique Parthenium seu Virginis Sinum. *Pri-
mum* omnes penè Geographi veteres asserunt: *Secundum* Plinius,
Melâ, Strabo: *Tertium* denique Dionysius, & ex eo Eustathius.

§. 2. *De Mari Cretico.*

CRETICVM ab insulâ Cretâ nomen habet, & cum Myrto